



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 135. Genua a Joanne Fregosio nomine Regis occupata

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.  
A.C 1446.

§. CXXXV.

*Genua a Joanne Fregosio Regio nomine occupata.*

*Bellef. 1.5.  
cap. 106.*

**H**i cum Nicæam usque pervenissent, Janus Fregosius, ex primoribus factionis unus cum suis copiis, quas Genuam inter & Pisas tenuerat, quædam circumvicina loca nomine Regio occupavit, & paulo post superato Genuensium portu trecentis militibus stipatus, erecto Galliarum Regis Vexillo Genuam intravit, ubi confestim a factionis suæ complicibus cum gaudio exceptus est, cunctis ubique festive conclamantibus: *Vivat Francia.* Ille vero recta ad Adornii Ducis, qui primo armorum strepitu percepto fuga sibi consulerat, palatium contendit.

§. CXXXVI.

*Fregosius illis Gallis urbem sibi metipso vendicat.*

**F**regosius urbe armis suis plene subacta, haud amplius alieno Regis nomine, sed propria auctoritate velut supremus Reipublicæ Dominus rem gerere cæpit, Gallisque, quorum armis, atque nummis urbem occupavit, nequiter illudens dicebat: armis hanc urbem occupavi, armisque illam contra omnes tuebor. His  
auditis